



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

Cap. 45. de pace animæ per vitutem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

## CAPUT XLV.

De septimo medio Meditationem atque affectus  
ejus ampliandi, sive de Pace & securitate ani-  
mæ, quæ ex virtute promanat.

COMPOSITIO LOCI, ut in imagine. ORATIO, ut  
solet.

PUNCTUM I. Considera studia ac cogitationes ho-  
minum hoc unum spectare, ut pacem ac quietem ani-  
mi sui consequantur. Nihil aliud avarus conquisitor *Omnes pa-*  
hujus sæculi, ambiciosus & curiosus propositum habet, *nō quarunt.*  
quàm ut anhelum animum & inhiantem rebus cadu-  
cis exfatiet; ac dicere possit, Anima mea requiesce: ha-  
bes enim reposita bona plurima in annos plurimos. *Luc. 12.*  
Desideria siquidem terrenorum velut motus sunt; quæ  
tam diu urgent miseris, donec re cupitâ fruuntur, &  
in eâ pacem inveniunt, quam invenire in iis homo  
non potest: sed verè dicere, In omnibus requiem qua-  
sivi, & non inveni. quia etiamsi universum mundum *Pax non est*  
possideat, æquè, & millies magis inquietus est: ut per *in bonis va-*  
hujus sæculi potentes luce clarius evadit. Quæ igitur *nis.*  
insania, mundana confectari, & certò scire nullam ibi  
quietem, & non quærere pacem in te, ô dulcissime  
JESU? *Hæcine vera*, ut suprâ pag. 7. vel *O Princeps pacis*, ut  
infr. pag. 616. Secundò, cogita unde fiat, amatores sæ-  
culi in terrenis nullam quietem obsequendo vitio,  
declinando à virtute, invenire. Primò, quia pax &  
quies ibi solùm est, ubi bellum non est; at dum cupi-  
ditatibus suis carnalis obsequitur, bellum rationi, le- *Cur pax non*  
gibus ac Deo movet, & animæ suæ subditos sensus ac *sit impio.*  
passiones adversus rationem armat, & conflagrare cum  
eâ, immò cum Deo facit. quomodo igitur pax ibi  
esse poterit? quis enim, ait Iob, restitit ei, & pacem *Iob. 9.*  
habuit? Et Baruch, Si in viâ Dei ambulasses, ha- *Baruch. 3.*

bitaffes utique in pace sempiternâ : quia scilicet virtutis cultores cupiditates subiiciunt rationi, & ipsam Deo, unamque cum eo habent voluntatem, & expende quam id æquum & pulcrum sit, vitiumque detestare. Si mens, ait S. Leo, rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non siverit, ordinatissimum tenebit ratio principatum, & munitiones ejus nulla spiritualium nequitiarum labefactabit illusio : quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & anima Deo præside gubernatur. Secundò, perturbatio nascitur ex eo, quòd vitium ac cupiditas pro objecto habent rem fluxam, mutabilem & caducam : cui animam suam homo affigit, & sic affixam necesse perpetuò cum eâ volvi, fluctuare ac mutari ; uti navis in turbido mari, ventis concussa, scopulisque allisa : at verò virtus animum Deo, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, conjungit, ipsaque in eo velut in Septentrione acus nautica, & elementum in centro suo conquiescit ; vide verò in quo hinc anima tua, & abnega illud. Ager animus se ut agrum corpus veritat in partem omnem, frustra. Vicissitudo est malorum, non remedium : palato infecto cibus quamvis varius non sapit, sed molestiam adfert : *Aspice, ut sup. pag. 8. Heccine firmâ fide.*

PUNCTVM II. Considera tertio oriri inquietudinem in peccatore ex perpetuo metu, qui vitium comitatur, metuit enim priusquam quod optat obtineat, ne non consequatur : gravius, ne obtentum amittat : gravissime, ne cum hoc orbatus fuerit, id recuperare non liceat ; denique Dei vindictam formidat, cum voluntati ejus adversetur, & hostis ejus sit. Quod eleganter Iob expressit.

Quoties lucerna impiorum extinguetur, & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui :  
erunt

*Leo serm. 1.*

*Pax in quo  
sita sit.*

*Alia causa  
inquietudi-  
nis.*

*Iacob. 1.*

*Seneca.*

*Iob. 21.*

erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut favilla, quam turbo dispergit. Justus autem quasi leo confidens absq; terrore est: unde dicite, ait Dominus, justo, quoniam bene. Expertus id David cantabat. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: Deum enim solum quatit justus, eumque possidet, quia in pace factus est locus eius. *Credo tibi ut supra pag. 7. vel O Princeps pacis, ut infra pag. 616.*

*Impius semper timet.*  
*Prov. 28.*  
*Psal. 22.*  
*Psal. 26.*  
*Psal. 75.*

PUNCTVM II. Considera Primò, unde præterea perturbatio in anima vitiosi hominis oriatur: utique quia voluntatem suam explere non potest; sed plurimos experitur diversam habere, immò etiam adversari, cum ejusdem habeat rei competitores ac corrivales, & plures esse nequeant ejusdem possessores. Justi verò & virtutis studiosi semper suam voluntatem perficiunt, quia aliam à divinâ nullam habent; nihil autem est quod ei resistere valet. Qui enim propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem, & sic nolentes propriam explere voluntatem, invenimur illam semper explevisse, ut S. Dorotheus dicere solitus. atque ita talis arbitrio suo agit omnia, perpetuoque lætus jure convivium in animo suo experitur: & cum stultus sicut luna mutetur, homo sanctus in sapientiâ manet sicut sol, Deumque imitatur. Secundò, attende quòd omnis qui facit peccatum, servus sit peccati. tanta autem servitus est vitii vitiosique hominis, ut etsi suam videat se voluntatem explere non posse, cessare tamen ei non liceat; duæ enim sanguisugæ semper dicunt, Affer, affer, ait Sapiens hinc ebriolus etiam si nequeat vina haurire, concupiscere tamen & ad ea suspirare jubetur, ut servus peccati: etiam si honor & fama legesque vetent, tamen parere cogitur lascivus luxuriæ, ebrietati, &c. eadem enim servitus omnibus vitiis communis est. At virtute præditus unum Deum timet,

*Alia causa perturbatio.*

*Justus facit semper quod vult.*

*Dorotheus.*

*Eccli. 27.*

*Ioan. 8.*

*Libertus justus est servus peccati.*

*Prov. 30.*

Q. q. 3 nullius

*Ambr. 1. 10. f.*

nullius iudicium metuit; nulli supplex & obnoxius est; sed stans in quodam rerum vertice in verâ & aureâ libertate triumphat. Gloriosa, ait Ambrosius, libertas quam nulla servitus culpæ, nulla peccatorum vincula constringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui servitutis addicunt.

*Heccine vera, ut sup. pag. 7.*

*Scrumpuli  
remersus  
peccatoris.*

PUNCTVM IV. Considera vitiosum, etiamsi facere voluntatem propriam valeat, nihilo tranquillior esse: quia illa cum divinâ pugnat; ac proinde perpetuò scrupulis conscientia agitatur, & se iudice nemo nocens absolvitur, dum se verè accusat conscientia, eademque condemnat & torquet. O quantam ex eo gehennam experiuntur peccatores! neque tantùm, qui gravibus delictis obnoxii, verùm etiam qui defectibus serviunt, neque mortificationi pravorum affectuum student. Præterea adverte è contrario, quantum sit solatium ex pace in animâ iusti, & collige ex jucundo cæli aërisque tranquilli & maris aspectu, vide qui fructus pacis in republicâ. & hæc ad animam transfer. quanti autem hæc, de quâ sermo est, pax sit, audiendus S. Paulus. Pax Dei, ait, quæ exsuperat omnem sensum: nihil enim ei sanè comparari potest, securaque mens iuge convivium à Sapiente meritò appellatur: superatque omnem sensum, nec æstimabitur argentum aut aurum in comparatione illius. Quantum enim est, ait Ambrosius, non moveri aut turbari metu, non exagitari suspicionem, non dolore vexari; sed quasi in littore tutissimo adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fidâ statione placidare!

*Phil. 4.**Prov. 15.**Ambr. lib. 1.  
de Iacob.*

*Aspira, ut sup. pag. 8. Heccine firmâ, &c. ibid.*

*Quantus  
honor vir-  
tutis.*

PUNCTVM V. Considera quanto honore virtus vera, etsi in vili & obscuro homine afficiatur, atque ad eodẽ etiam Ethnicis, in Vestalibus & sacrificulis fucata virtus summæ venerationi fuerit, atque etiam num sit. Vide ut vivos Sanctos omnes honorent Imperatores & poten-

tes sæculi; eorū preces & suffragia apud Deum efflagitent; casus eorum ut templa venerentur, ut oracula ad-  
 cant. Antonium, ait Athan. hominē in extremo mundi  
 limite conditum Principum & omnis celebrat aula re-  
 galis agens de Constantino & filiis. Sepulcra verò San-  
 ctorum sunt velut asyllum, velut malorum omnium le-  
 vamen: quot peregrinationes illuc instituuntur? dona-  
 ria mittuntur? quo honore eorum reliquix coluntur?  
 quos, si genus ceteraque externa bona spectes, nullo  
 mortales loco paulò antè habuerant, vel haberent, si  
 absque virtute essent. Secundò, vide quàm honos ille  
 verus ac solidus sit, cùm alius omnino vanus. neque e-  
 nim, ut S. Chrysostr. voces illę populi per quas iudicibus  
 acclamabatur, ex veritate proferuntur: sed ipsę sunt, qui-  
 bus fucatum nomē honoris depingitur. quod, ubi po-  
 testate defuncti sunt, liquidò apparet. Memoria iusti, ait  
 Sapiens, cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.  
 Virtute enim præditi, Reges appellantur: & verè sunt  
 fortiores & meliores, quia dominantur animo suo, ex-  
 pugnatore urbiū. sunt enim summi Regis amici intimi,  
 qui cū suos voluerit honorare, quid nō præstat? Testa-  
 tur D. Franciscus ejus delicia, D. Dominicus S. P. Igna-  
 tius, S. Catharina Senensis: cū quā & cor cōmutare di-  
 gnatus est, aliosq; , ut Magdalenā & innumeros, crebrò  
 visere, & magnā familiaritate honorare. Quid verò An-  
 geli facerent, cùm Regē suum tantā nos dignatione af-  
 ficere videāt? Ecce quàm verū hoc est: Omnis qui se ex-  
 altat, humiliabitur; & qui sese humiliat, exaltabitur?  
 Quanta autē sit ignominia vitiorū, patet ex suppliciis  
 reorū quotidianis; quodq; quantumcumq; improbos,  
 suorū scelerum pudeat: neque sit quisquam tam potens  
 aut sapiens, qui si vitiis seruiat, non ludibrium fiat suis,  
 & amicis & inimicis subsannatio. Verissima enim ead.  
 Pauli sententia: Tribulatio & angustia in omnem ani-  
 mam hominis operantis malum: gloria autē & honor  
 & pax omni operanti bonum. *Hæcine verā, ut sup. pa. 7.*

*Athan. in  
 vitā Anto-  
 nii.*

*Chrysostr. l.  
 quòd nemo  
 leditur nisi  
 à seipso.*

*Prov. 10.  
 Laus verā  
 virtutis.*

*Honor quem  
 Deus sanctis  
 habet.*

*Nota.  
 Luca 14.*

*Rom. 2.*



## Exercitium brevius.

Esaia 66.

**O** Princeps pacis, credo tibi, & in te spero, & toto corde te diligo. Converte, obsecro, vultum tuum ad me, & da mihi pacem propter nomen tuum, & amorem: ut in pace meâ fiat locus tuus & cordi meo, & sufficit, & sufficit mihi: si enim veneris ad me fons aqua viva, declinabis super me quasi fluvium pacis, & thesaurum habebò absconditum, & spero quòd in aeternum non separabor à te. Quis enim restitit tibi, & pacem habuit? Nemo: cupio igitur tecum & mecum pacem habere, ut non repugnet lex in membris meis legi mentis meae, sed idem tecum velim, tecum nolim, unusq; sis mihi omnia in omnibus. Amen.

## Exercitium longius.

Jerem. 2.

Rom. 5.

Isaia 48.

Psalm. 118.

**O** Requies vera, & gaudium universae terrae; vide afflictionem nostram, quâ querimus cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquam. In omnibus requiem querit cor nostrum, pacem & tranquillitatem desiderant universi: quia haec unica felicitas in hoc statu, infeliciq; exilio, ubi militia est vita nostra, invenire pacem; & ad hoc iustificati sumus à te, ut pacem habeamus apud Deum, per te Dominum IESVM Christum. Omnium huc spectat labor, hanc luxuriosi, avari, ambitiosi querunt, sed frustra: non est enim pax impiis, non est pax nisi diligentibus legem tuam. Tu illam nobis attulisti è caelo benignissime IESV, & mundo nuntiasti. Verè Princeps pacis, lapis angularis, qui facis utraque unum, & in te reconcilias ima summis. O quanta felicitas illius animae, quam per virtutem elevas supra tempestates mundi huius, sanctâ contemplatione defixam! non timebit mala, quoniam tu cum eâ es; non agitabitur cupiditatibus cor illius, quia tu ei omnia unus es; inter prospera & adversa secura & tranquilla, quasi in quodam rerum vertice stat, & despicit universa.

Psalm. 54.

Cant. 2.

Ioan. 14.

O pax nostra unica Deus meus, quis mihi tribuat pennas sicut columbae, & volabo, & requiescam in foraminibus petrae, in cavernâ maceriae? Venisti enim ut pacem habeam, & moriturus pacem reliquisti mihi dicens, Pacem relinquo vobis, pacem meam

do

do vobis. Propitius mihi esto, Domine, ne dem hereditatem tuam, quam sanguine tuo signatam reliquisti mihi, pro re huius mundi vili, caducam & transitoriam in pace factus est locus tuus, ut nec templum fieri tibi nisi à Salomone volueris, neque nasci, nisi in pace; neque mori, nisi ut pacem nobis impetrares. Ergo si pacem habuero, certus sum quod tu Deus pacis & dilectionis eris mecum: & quid erit tunc quod ultra petere possim? pax enim ista exsuperat omnem sensum. Utinam gustare eam possim, & videre quam suavis sis, Domine, & præ dulcedine corporis & sanguinis tui, o Creator mi, amarescat omnis creatura.

Psalm. 75.

Philip. 4.  
 Applicatio  
 ad Communionem.

O quanta, o quanta cordis pacifici felicitas te habere, & te frui, te refici & pasci, nihil cupere, nihil timere, nihil sperare, nihil velle præter te & tuam sanctam voluntatem, nullo conscientie stimulo urgeri, omni hora ad mortem, ad adventum tuum esse paratum! si quis hanc gustaverit, nescio, ait Bernardus tuus, antalis anima vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius poenaliusque ducit, quam post spiritualis studij huius gustatam semel suavitatem, exire de novo ad illecebras, vel potius molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.

Bernard.  
 serm. 31. in  
 Cant.Infernus  
 videtur iusto,  
 pacem amittere.

Neque pacem tantum virtuti tribuis; sed decreto perpetuo divine maiestatis tue illam verus honor etiam sequitur. regiam enim quadam potestate se cohibens rex dicitur, quod regere se noverit, arbiter sui, suique iuris sit, non captivus trahatur in culpam; nec præceps feratur in vitium. atque adeo sola virtus honorem meretur, improbitatem honorabilem facere neque imperia, neque insula possunt: plurius est meriti apud omnes pauper virtute praditus, quam omnis potentia seculi. Tantus enim quisque est, quantus est in oculis tuis: & certe eos qui diligunt te, Domine, etiam hic glorificabis; qui autem te contemnunt, erunt ignobiles. Verè exclamavit Psalter tuus: Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Cum verò me infinita miseratione dignatus sis in amicum eligere, quia præcepta & consilia tua omnia, quæ accepisti à Patre, nota mihi fecisti; nolo esse amicus huius seculi, sed unum te amare toto corde, & tota mente meam, te stringere amplexibus anima mea, donec affiret dies, & inclinentur umbra, donec appareas mihi,

Ambros.  
 Honor virtutis.

1. Reg. 2.

Psalm. 138.

Affectus  
 amoris.



*Et aperias thesauros charitatis tuae, quae dilexisti me ante constitutionem mundi, Amen.*

*Praxis ad securitatem animae comparandam.*

*Resignationis praxis.*

PRIMÒ, sæpè resignare sese hoc, vel simili modo: Deus meus & omnia, fiat in omnibus sanctissima voluntas tua. Propone verò quisque sibi diversa potest, ut tentet animum an repugnet nec ne, & se resignare.

*Pacis precii pondera.*

Secundò, si quid adversi accidat, animum collectum servare, & cogitare, Tanti est, & pluris pax: atque uti quis omnia pro vitâ exponit, ita omnia amittat potius quam pacem.

*Amaritudinem vitæ.*

Tertiò, frequens & humilis confessio.

*Occupationem moderare.*

Quartò, supra omnia mansuetudo, & omnem amarulentiam, suspicionesque ex animo suo expellere.

*Exod. 18.*

Quintò, moderata occupatio. Martha enim turbatur erga plurima: de illâ etiam Moysen Jethro monuit.

*S. Scriptura*

Sextò, lectio sacrae Scripturae frequens: quæ de sursum enim est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica.

*lectionem*

Septimò, sensuum diligens custodia.

*frequenta,*

*Dignatus es, ut supra pag. 10.*

IACVLATORIÆ.

*Philip. 4.*

**P**ax Dei exsuperans omnem sensum, custodiat corda nostra & intelligentias nostras.

*August.*

*O Domine, fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te,*

*Psal. 118.*

*Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

*Psal. 4.*

*In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.*





## VIGESIMÆ QUARTÆ IMAGINIS

## ANNOTATIO.

O quantum gaudium habet qui virtutem sequitur! hoc saltem te trahat ad eam N.

**V**niuersus **A** mundus non valet explere cor tuum, quod **B** variorum desideriorum flatibus exagitur. cur igitur à virtute abduceris stultis **C** vitiorum illecebris? nimirum ut è fædo **D** lacu potes, ad quem periculosâ & ambagiosâ **E** viâ deeras: ubi **F** superbia, luxuria, avaritia te allectum in **G** belluam deforment, & in **H** inferni barathrum detrahant. ecce **I** regnum Dei intrate est, quid frustra alibi quæris? en maxima **K** gaudia virtutis quæ cor verè replent, quæ **L. B. Xaverius** aliq; Sancti, etiam in hac vitâ degustârunt. Hausta certè ex Deo bonorum fonte gaudia ex **M** corde exundant, illudq; satiant: ex peccati autem lacu hausta lætitiæ **N** perfluunt ac dilabuntur.

CAPVT